





GRATVLATORIA  
 SCRIPTA PIETATE, ERVDITIONE ET VIR-  
 TVTE PRÆSTANTI IUVENI, D. PHI-  
 LIPPO FVLDERO, CVM EI VNA  
*cum alijs doctis viris & iuuenibus Magiste-*  
*ry Philosophici gradus in Academia Vuite-*  
*bergensi, Decano Cl. V. & Medicinæ Li-*  
*centiato D. Bartolemaeo Schonborn, nonis*  
*Martij decerneretur, Anno a par-*  
*tu virginis*  
 M. D. LXXIII.



VVITEBERGÆ  
 Excudebant Clemens Schleich &  
 Antonius Schöne.

AD M. PHILIPPVM FVL-  
DERVM, REVERENDI VIRI D. ANDREÆ  
*Fulderi fidelis Ecclesiastæ Naumburgensis fili-  
um, Gratulatio M. Martini Henrici Sa-  
ganensis, Professoris Academiae  
Vuitebergensis.*

Est aliquid, doctas animum coluisse per artes,  
Et varijs linguam verba sonare modis:  
At longè superat, patefacti dogmata verbi  
Sacra, Deus quid sit noscere quidq; velit.  
Præcipue CHRISTVM bene scire, & fidere soli,  
Solut hic æternæ dona salutis habet.  
Æternumq; DEVM vera pietate timere,  
Nostra sit vt studijs consona vita bonis.  
Versuto plures quis Damone calleat artes:  
Ille quidem sapiens, sed pius esse nequit.  
Aureus vt digitos gemmis fulgentibus ornat  
Annulus, humanum sic duo iuncta genus.  
Gratulator ergo tibi FVLDERE, quod ordine iungis  
Musarum vera cum pietate decus.  
Te regat, incolumem seruet, fortunet honores,  
Te faciat felix organon esse DEVS.



# ODA DICOLOS

TETRASTROPHOS.

**N** linguens iterum tempe Heliconia  
Præses Thespiadum, Leucoreas adit  
Terras fronte hilari,serta gerit manu,  
Auratoq; orbe superbit.

Iungunt se comites Pegasides nouem,  
Hæc libros nitidos, illa tenet chelyn,  
Et iunctis citharis lene sonantibus  
Lauri de fronde coronas.

Præclaros titulos, & decus inclitum  
Doctrina egregijs cœtibus offerent,  
Atq; horum titulis talibus, & nouo  
Augebunt nomine famam.

Hanc palmam, meritis donaq; honoribus,  
Atq; hæcserta suis splendida flosculis,  
Præclarum studium, curaq; dulcibus  
Musis operata meretur.

Nam summos titulos, nobileq; auferunt  
Virtutis decus, & nomina splendida,  
Qui Mauortis opus, qui graue prælium,  
Tolerant mala quæq; secuti.

Nec multi tamen hæc pulcra sacraria  
Ascendunt : grauis hunc pauperies premit,  
Illum luxuries, desidiæ comes,  
Vetat hoc insistere limen.

Ast certatim alios & socij, malis  
Assueti vitijs, proposito auocant,

A y Vt

Vt metam nequeant cursibus assequi,  
Turba remorante malorum.  
Felix qui placidis cunq̄s sodalibus,  
Hec consortia vitans mala, iungitur:  
Hic iusto officij munere fungitur  
Multos superando labores.  
Multos castra iuuant, & lituo tubæ  
Permistus sonitus, bellaq̄ matribus  
Detestata: adeunt mille pericula,  
Ipsa & discrimina mortis.  
Sunt qui ceruleis Oceani vadis  
Credunt vela, & iter terrificum Notis  
Tentant: merx validis nauibus additur,  
Mittuntur carbasa ventis.  
Perpauci interea prata celebra,  
Hortosq̄ irriguos Aonidum expetunt  
Cursu inuisere, curis animum optimis,  
Sacrisq̄ dicare Mineræ.  
Sunt pauci iuuenes, qui vigiles manu  
Voluunt assidua docta volumina,  
Et rerum egregijs mentibus omnium  
Discunt euoluere causas.  
Artes ingenuas gnauiter eruunt  
Scrutanturq̄, stata lege volubilem,  
Illustrem nitidis luminibus polum,  
Solidæ locaq̄ inuia terræ.  
Pernoscunt hominum corpora, & artuum,  
Neruorumq̄, simul fontem & originem  
Collustrant,

Collustrant, animis gaudiaq̄, afferunt  
Miranda hæc facta tuendo.

Tandem quis pelagi cerula flumina,  
Terram sub rutilo sidere pendulam,  
Et cœlum reliqui corporis ambitum,  
Et quod comprehenditur illis,  
Dein princeps hominem quis fabricauerit,  
Quaq̄ ex materia, quis cumulauerit  
Discunt, muneribus, quis reparauerit  
Amissæ dona salutis.

Ast laudem meritam, præmiaq̄ optima,  
Scrutati ingenuis talia in artibus,  
Acceptant iuuenes. Nam Clarius pater  
Docta hos facit arte Magistros.

Sic Fuldere tuum iam caput impedit  
Lauri frondibus, & Phœbus honoribus  
Exornat meritis: sic honor, & decus,  
Studium, curasq̄ sequuntur.

Te carus genitor, præco vigil Dei,  
Addixit studijs, quando sub vberè  
Materno pietatis bona semina  
Captares omine fausto.

Tu mentem ingenuis excolere artibus,  
Verbi Saluifici sacra volumina,  
Ebræas, Latias, Mæonias simul  
Studuisti nosse loquelas.

Hinc Fuldere nouis grator honoribus,  
Quis Phœbus decorat te caput & tuum,

A ij

Præ

*Præclaros titulos grator, & inclitum  
Decus, & noua nomina famæ.*

*Tu pergas latices fontibus optimis  
Scrutari, atq; tuos mittere in hortulos:*

*Tum maiora piæ Castalides tibi  
Decernent præmia palmae.*

*Nec te rixa virûm, rixa procacibus  
Ausis perniciem Christicolis ferens,*

*Nec prauï moueant te laquei, aurea  
Taxantes scripta Philippi.*

*Illa ipsa in laqueis perdita proprijs  
Gens hærebit: at hæc docta volumina*

*Viuant ac valeant: scripta Melanthonis  
Cedro transcripta perennent.*

*Zacharias Wennemeyerus Ascanius*

*εἰς μνημόσωρον τῆς φιλίας Ε.*

*ALIVD SCRIPTVM A PE-*

*TRO PANACHIO BVDISSINO.*

**E**Rgò suos tandem satis est testata furores,  
Irarumq; modum frigida fecit hyems;

Ergò semel placidæ vult indulgere quieti:

Dum castis Musis semper obesse nequit.

Non igitur quicquam propria virtute mouetur,

Cuncta sed ex nutu stantq; caduntq; Dei.

Ille



Ille inhihet Solem radiato lumine ferri,  
Et rapidi Gangis flumina stare facit.  
Ille etiam strictis hyemem moderatur habenis,  
Atq; beat sacros, vere tepente choros  
Est igitur felix Zephyros qui passus & Austros,  
Nec tamen à studijs cernitur isse bonis.  
Nam veluti miles, deuicto fortiter hoste,  
Nil plus aduersi, quod vereatur, habet:  
Sic illi nunquam veniunt terrore procellæ,  
Lucida sed placidus Iupiter astra regit.  
Iupiter astra regit, nec non sua dona Nouenis  
Demittit, varias atq; ministrat opes.  
Iam quod enim redeunt pulcherrima tempora veris  
Quod virides tellus spirat vbiq; rosas.  
Quod volucres pleno modulantur gutture cantus,  
Ac gestit toto quicquid in orbe viget,  
Soliis æterni sunt munera larga parentis,  
Qui iuuat & castas curat amatq; Deas.  
O fortunatas Diuorum cura Sorores,  
O fortunatum DOCTE PHILIPPE diem,  
Quo te Castalides merito dignantur honore,  
Quo capiti imponunt florida ferta tuo.  
Namq; quid est aurum? quid fulgida munera gemmæ?  
Sive quid Attalicæ splendida gaza domus?  
Id mihi Croese refer (quoniam tibi credere fas est)  
Nonne ea tristitiæ causa fuere tuæ?  
Ah miser & misero multum infelicio Iro,  
Quisquis ab incertis nomina rebus habet.  
At manet Aoniæ tribuunt quam fama Sorores,  
Dum supero nitidum Sol vehit axe diem.  
Dum rapidus voluit resonantia flumina Pontus,  
Dum valido tellus robore nixa manet.  
Gratulor

Gratulor ergo tuo veræ virtutis honori,  
 Et merito laudes dico PHILIPPE tuas,  
 Qui potius duros voluisti ferre labores,  
 Quam supplex doctas non coluisse Deas,  
 Gratulor & Patri, quem non spes vlla fefellit,  
 Qua tibi non segnis ferre solebat opem:  
 Quin videat Gnatum sub adhuc iuuenilibus annis  
 Plurima victricis præmia ferre manu,  
 Quem uè potest blandis affari & dicere verbis:  
 Tu senium recreas, lætificasq; meum,  
 Deniq; doctrina claris, virtutibus auctis,  
 Quis non gratetur CHARE PHILIPPE viris?  
 Qui primum teneras tibi monstrauere per artes,  
 Scires vt faciles ad grauiora vias,  
 Sed si ritè, tuum veniunt quæ propter honorem,  
 Carminibus laudes enumerare velim:  
 Tam mihi deficient animi, pars optima, vires,  
 Quam non sufficient tempora, carta, manus,  
 Quod superest igitur pietas atq; ipsa requirit,  
 Te decet, vt Diuis debita thura feras,  
 Musarumq; pijs repleas altaria votis,  
 Ne qua tuas lædat fortè pruina rosas,  
 Ne tibi pro vera placeat virtute, quod haud est,  
 Casta sed in casto corpore ferta geras,  
 Vt celebres illum tua qui tibi vota repleuit,  
 Gratus & vt doctis sis, maneatq; scholis,  
 Vtq; Deo semper sua sic ecclesia crescat,  
 Puraq; te crescant verba sonante. Vale.



A 2490

ULB Halle  
003 485 986


3




sb

kom







XXXV

34

GRATVLATORIA  
SCRIPTA PIETATE, ERVDITIONE ET VIR-  
TVTE PRÆSTANTI IUVENI, D. PHI-  
LIPPO FVLDERO, CVM EI VNA  
*cum alijs doctis viris & iuuenibus Magiste-  
rij Philosophici gradus in Academia Vuite-  
bergenfi, Decano Cl. V. & Medicinæ Li-  
centiato D. Bartolemaeo Schonborn, nonis  
Martij decerneretur, Anno a par-  
tu virginis*  
M. D. LXXIII.



VVITEBERGÆ  
*Excudebant Clemens Schleich &  
Antonius Schöne.*